



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.53. Nicephorus Patriarcha Papæ scribit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

tholicum & Religionis amantem Schisma Ecclesiæ Constantinopolitanæ turbabat; hinc Patriarcham omnesque qui ad pacem reducendam quidquam conferre poterant, hortari non cessavit, donec eos Platoni, Theodoro Studitæ & fratri ejus Josepho Archiepiscopo Thesalonicensi, quos ab exilio revocavit, reconciliasset. Præcipua pacis conditio fuit, ut Josephus Presbyter & Oeconomus pelleretur, qui secundo ab Ecclesia ejectus est. Leo Papa hanc pacem datis litteris approbavit, nam illius quoque Auctoritate ad eam revehendam Imperator usus fuerat. Porro cuidam Abbati, nomine Antonio, cunctanti & adhuc in carcere remanenti scripsit Theodorus; ne dubitaret, ad Communionem Patriarchæ redire, quocum ipse jam nunc sincera mente communicaret.

## §. LIII.

*Nicephorus Patriarcha Papæ scribit.*

Annis quinque & ultra, ex quo Nicephorus Sedi Patriarchali Constantinopolitanæ fuisset admotus, necdum Epistolam Synodicam pro more ad Papam dederat, quod ne id faceret, a Nicephoro Imperatore prohiberetur. Tunc igitur huic satisfecit officio, cum Imperator

Sæculum IX. A. C. 811. tor Michael Legatis ad Imperatorem Carolum missis ejus amicitiam quæreret.

p. 419.

to. 7. Conc. p.

1206.

Sup. n. 33.

p. 1215.

p. 1203.

Habemus Epistolam Nicephori Patriarchæ ad Leonem Papam pro tempore illorum stylo ad fastidium usque longam. (\*) Narrat Nicephorus vitæ suæ historiam, quo munere in Aula functus fuerit, secessum, & Ordinationem suam se invito factam. Edit deinde Fidei suæ Confessionem amplam & Theologicam, in fine profitetur, quod Intercessionem Sanctorum expectat, & quod eorum Reliquias Imaginesque veneretur.

Septem Concilia Oecumenica recipit, & Papam rogat, ut si quæ forte in hac fidei Confessione omisisset, suppleat. Excusat, quod tardissime scripserit, summa sæculi potestate cohibitus. Rogat Papam, ut Michaellem Synnadensem Metropolitanam suæ Epistolæ latorem benigne suscipiat, & dona, quæ mittit enumerat in hunc modum: Thecam auream habentem ex una parte crystallum, &

(\*) Inscriptio est hujusmodi: *In omnibus sanctissimo & beatissimo Fratri & consecrati Domino Leoni Papæ antiquæ Urbis Romæ Nicephorus misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos in Domino Salutem. Inde dispicimus Patriarchas Constantinopolitanos nec omnes nec semper invidioso titulo Oecumenicos fuisse.*

& ex adversa opus encausticum, in qua minor capsula includitur continens duas Particulas veræ Crucis, Tunicam albam, & Casulam castanei coloris, utramque inconsutilem, Stolam, & Manipulum, cui aurum intextum, omnia linteo purissimo, cum signo plumbo impresso, involuta. Michael Episcopus, qui hanc Epistolam deferendam suscepit, ab Imperatore Michaele ad Carolum Imperatorem cum duobus Protospatriis seu Scutariorum præfectis ad confirmandam pacem missus fuerat. Illi anno octingentesimo duodecimo Aquisgranum pervenerunt, & pacis fœdera scripta recipientes, Carolum agnoverunt Imperatorem, eumque eodem nomine, quo Dominum suum, græce *Basileus* appellarunt. Inde Romam commeantes ejusdem pacis Decretum de manu Pontificis in Basilica S. Petri iterum receperunt.

Sæculum IX.  
A. C. 812.

An. Egin.  
E. C. an. 812

§. XLIV.

*Manichæi in Oriente.*

Cum Michael Imperator sub auspiciis Regni sui capitis pœna in Manichæos seu Paulicianos sancita non nullos gladio percuti jussisset, Nicephorus Patriarcha aliique Viri pii obstiterunt, ne in plures capitale decretum exequeretur; quippe dicebant, præstare, ut his hominibus daretur locus pœnitentiæ, & affir-

Theoph. p.  
419.

*Hist. Ecclesiast. Tom. X. A a a ma*